



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Christi vaticiniis. Cap. VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

De Christi vaticiniis.

CAP. VII.

Talis igitur merces Iudeorum iniquitatē impietatēq;
contra Christum comparatam, tandem cōsecuta est.

Porro autem huc addere operepretiū duximus ve-
rax & ratum Seruatoris nostri testimonium, quo easdem
ipfas calamitates in Iudeos casuras perspicuē prēnuntia-
uit ad hunc modum: Vē prēgnantibus & lactentibus in *Mat. 24i*
illis diebus. Orate ne fuga vestra fiat hyeme, neque sab-
bato. Erit enim tum afflictio magna, qualis non fuit ab
initio mundi hactenus, neque fiet. Idem auctor vni-
uersum numerum eorum, qui fame & gladio interie-
runt, in vnum colligens, vndecies centena millia fuisse
affirmat. Et postquam Ciuitas capta, & penitus vastata
fuit, reliquos factiosos & latrones, qui supererant, alte-
rum alterius indicio proditos, à Frontone Romano
mortis supplicio affectos fuisse. Adulescentulos autem,
qui proceritate & pulchritudine corporis prāter cate-
ros excelluerunt, in triumphum referuatos. Ex reliqua
multitudine, qui decimum & septimum ætatis suæ annum
essent prātergressi, hos constrictos vinculis ad opera in
Ægypto obeunda amandatos. Complures verò per
prouincias dispersos, quò in celebribus spectaculis, ferro
& bestiis membratim dilaniarentur. Alios, qui adhuc
decem & septem annos non compleuerant, captiuos
abductos, mercatoribusq; venditos. Captiuos om-
nes, qui vniuerso belli tempore prehendebantur, nu-
mero ad nonaginta septem hominum millia fuisse nar-
rat. Ista secundo anno regni Vespasiani ad hunc mo-
dum gesta sunt, idq; congruenter propheticis domi-
ni & seruatoris nostri Iesu Christi prāditionibus:
qui quidem ea, perinde ac si iam prāsto fuissent, diuina
sua virtute prāuidit: quique pro huius vrbs euerfione
vim lachrymarum profudit, & grauiter lamentatus est: si-
cut testimonia declarant sanctorum euangelistarū, voces
illius, primū quasi ad ipsam Hierusalē loquētes citantiū. *Luc. 19i*
Si cognouisses & tu in die isto, quæ ad pacē tuā spectant:
Nunc

EVSEBII HISTORIAE

Luc. 21.

Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis: Quia veniet, dies in te & circumdabunt te inimici tui vallo, & obsidio, ne cingent te, & coangustabunt te undique, & ad terram, prosternent te, & filios tuos qui in te sunt: Deinde quasi de ipso populo verba facientis. Erit enim afflictio & necessitas magna super terram, & ira populo huic, & cadent in ore gladij, & captivi ducentur in omnes gentes, & Hierusalem calcabiturà gentibus donec impleantur tempora gentium. Et iterum. Cum autem videritis circumdari ab exercitibus Hierusalem, tunc scitote, quia appropinquavit desolatio eius. Quòd si quis Servatoris nostri verba cum reliqua huius auctoris Historia, quam de vniuerso hoc bello perscripserit comparet, quid est quãobrem non eius præscientiam atque adeò vaticinationem magnopere suspiciat, eamque verè diuinam & supra modum admirabilem planè fateatur?

De signis quæ bellum præcesserunt.

CAP. VIII.

DE illis verò rebus, quæ post Servatoris nostri passionem, postquàm illas sceleratas voces emissas, quibus Iudeorù multitudo latronem & homicidam necesse eripere postulabat, ducem autem & auctorem vitæ à medio tolli suppliciter petebat. Vniuersæ huic genti acciderint, in hac historia differere non est omninò necesse. Sed videtur consentaneum illa quidem adijcere, quæ perspicuè ante oculos cuiusque proponant singularem clementiam benignæ Dei erga illos providentiæ, quadraginta annos continuos post illud facinus contra Christum admissum, pernitiam & interitum in illis futurum differentis. Quo quidem temporis spatio cùm Iacobus ipse, frater Domini nuncupatus (qui primus illic fuit creatus Episcopus) tum plerique alij Apostoli & discipuli qui adhuc manebant in vita, atque adeò in ipsa Hierosolymorum ciuitate commorabantur, loco illi tanquam firmissima quædam propugnacula extiterunt: diuina vltione, quæ eorù imminebat capitibus, non solum toleranter expectante, si forte pro sceleribus quæ consciuissent, grauitèr condolescètes, veniam & salutem tandem assequerentur, verum etiam præter illam